

ve testibus: ut hæc custodiret omnia sine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando (1). Quæ quidem admonitiones frustra fierent, inquit *Beveregius* (2), ac inaniter, imo inepte et ridicule, nisi *Timotheus* et ordinandi, et accusationes contra Presbyteros prolatas audiendi, et causas denique ecclesiasticas iudicandi potestatem accepisset. Atque huiusmodi potestas fuit etiam *Titi* in insula Creta, quod ex epistola ad eum scripta apertum est. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ*, ait Apostolus (3), *ut ea, quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Quam autem in Asia *Timotheus*, *Titus* in Creta potestatem exercuerunt, eandem fuisse in aliis etiam quibusdam ecclesiis habuerint sibi creditas, pro certissimo potestatem recipi.

COROL. Itaque hierarchia ecclesiastica non demum post ætatem Apostolorum novo ausu introducta est, sed in ipsis adeo rei christianæ initiis ex ipsius Christi mandato instituta est ordinataque, ita ut quemadmodum *Diaconi* gradu inferiores suberant Presbyteris (§. XVI.) ita hi *Episcopis* (§. XXI.) tamquam qui supremam in omni fidelium cœtu, non *dirigendi* tantum, verum *regendi* etiam ac *disponendi* potestatem à Deo ipso collatam exercebant (§. XXII.). *Attendite vobis*, scriptum est de his, *et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (1). Recte proinde Tridentini Patres: *Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et ministris, anathema sit.* Sess. 23. can. 6.

(1) *I. Tim. V. 19. seqq.*

(2) *Lsc. cit.*

(3) *Ad. Tit. I. 5.*

(4) *Act. XX. 28.*

## §. XXIII.

*Primatus à Deo institutus.*

Atque hæc quidem singulorum est cœtum hierarchia sapienter ita per diversorum graduum legitimam subordinationem temperata, ut in uno demum totius cœtus supremo pastore desineret (§. XIII.). Quæ autem istam Præpositi unius singularem auctoritatem in singulis Ecclesiis exigebat, ut concordia scilicet inter Presbyteros servari, conventus ecclesiæ cogi ac gubernari, fluctus et factiones forte in populo nascentes sine strepitu et dissensione componi possent (1); eidem in Ecclesia Catholica ex innumera particularium cœtum multitudine in unam societatem compacta multo magis locum esse oportere evidens est. Nam, quod prudenter monet *Hugo Grotius* (2): *ordo sive in partibus sive in toto continetur principatu quodam, sive Præpositi unitate.* Est quidem populi sui unum atque essenziale caput *Christus* (3): sed visibilis Ecclesiæ Catholice unitas (§. XI.) visibilem et conspicuam omnibus Præpositi unitatem deincepscebat. Unde unum omnibus schismatis tollendi causa (4), tamquam principem potestatis suæ vicarium præposuit, qui quidem non dominans in clero arbitrarium (5), sed ad normam Evangelii charitate ac lenitate temperatum imperium exerceret: oves pasceret ipse forma gregis factus (6), ceterosque ejusdem gregis pastores à *Spiritu Sancto* positos tamquam fratres ac comministros regeret coleretque (7).

(1) *Moshemius loc. cit.*

(2) *Vot. pro pac. eccles. art. 7.*

(3) *I. Corinth. III. 11. ad Ephes. I. 22.*

(4) *Hieron. adv. Jovin. lib. 1. n. 26.*

(5) *Matth. XX. 25.*

(6) *I. Petr. V. 3.*

(7) *Matth. XX. 26. Luc. XXII. 32.*

SCHOL. Qui hujus naturæ est primatus, eum cur aut indoli Ecclesiæ adversum, aut injuriam Christo, et libertati discipulorum ejus inimicum putem, nullam causam reperio. *Præcipua* atque *essentialis* potestas semper Christi est Ecclesiæ suæ proprii capitis; Episcoporum, et Primatis *vicaria* et *ministerialis*. *Inde est*, inquit Barthel. *opusc. Jurid. tom. 2. de jure reform. §. 2. quod in Episcopatu animarum nostrarum Christus nullum habeat successorem, sintque Apostoli et Episcopi Christi in terris dumtaxat vicarii, potestatem tantum ministerialem, non absolutam habentes.*

## §. XXIV.

*Primum Petro collatus est.*

Eximio huic muneri in Ecclesia gerendo, quem ex Apostolis suis destinaverit *Servator*, jam tum haud obscure indicabat, quando Petro dicebat: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis* (1). Clavium enim nomine gubernandæ Ecclesiæ eamque peculiarem Petro tributam potestatem hoc loco, constans est *Sanctorum Patrum* traditio. Etsi enim *petram*, super qua ædificaturum se *Christus* Ecclesiam suam significat, alius quidem *Christum* ipsum, *fidem* alius et *confessionem Petri*, alius denique cum Petro reliquos etiam Apostolos ac discipulos interpretetur; nihil tamen hæc interpretandi varietas isti, quam dicebam, traditioni detrahit. *Petrum* enim ea voce peculiari quadam ratione significari, quotquot *litteralem*, cujus præcipuam in disceptando rationem haberi nemo ignorat, textus sensum

(1) *Matth. XVI. 18. 19,*

eruerere conati sunt, mira consensione ab iis traditum reperio.

SCHOL. I. Quod adductis eorum testimoniis ostendunt Honor. Tournelius *tom. 2. de eccles. pag. 21.* Petr. Colletus *prælect. theol. tom. 7. part. 2. pag. 226.* Natalis Alexander *in Hist. eccles. sæc. I. diss. 4.* Petr. de Marca *diss. de discr. cleric. et laic. cap. 3.* et nuper in originibus ecclesiasticis celeberrimus Mamachius.

SCHOL. II. Clavium potestas omnem complectitur potestatem, quæ in regendo populo fidei eoque ad salutem æternam perducendo versatur. Negat hoc quidem Bohmerus *diss. 3. ad Plin. §. 7.* Seldeni *de synedr. lib. 2. cap. 7. §. 2.* Vitringæ *de synag. vet. lib. 3. part. 1. cap. 10.* Lightfooti *in horis hebraicis* interpretationem sequutus. Alias aliorum interpretationes recenset Pfaffius *orig. jur. eccles. pag. 9. seqq.* Conf. Placid. Fixmillner *de reipubl. sacr. orig. divin. Exercit. 2. sect. 1. §. 3. pag. 35. seqq.*

## §. XXV.

*Quod ex sacris litteris constat.*

Eandem Petri præ ceteris Apostolis prærogativam probat similis huic locus Joannis *cap. XI. (1)*, ubi quum *Christus* iterum ac tertio *Petrum* interrogasset; *Simon Joannis, diligis me plus his?* respondisset autem *Petrus: Domine, tu scis quia amo te: Christus* semel iterumque subjicit, *pasce agnos meos: postremo autem, pasce oves meas.* Pascendi enim munere dignitatem contineri cum potestate conjunctam, non ex divinis modo litteris, verum ex aliis etiam aliorum scriptis ostendit *Barthelius* (2), juxta illud de Davide: *Tu pasces populum meum Israël, et tu eris dux*

(1) *Vers. 15. seq.*(2) *Loc. cit.*

*super Israël* (1). Ut quid autem repetita hæc de amore interrogatio? cur repetitum de pascendo *Domini* grege mandatum datur *Petro*, si nullum peculiare, nullum à ceteris Apostolis distinctum ei munus collatum est? ut alia taceam è sacris litteris argumenta, veluti quod primus omnium, quoties Apostolorum initur census, nominetur (2); seorsim sæpe à ceteris ponatur tamquam qui principatum obtineat (3); atque alia hujus generis complura *Bellarmino* in primis anxie conquisita (4), quæ *Petrum* fuisse ceteris Apostolis prælatum non ambigue insinuant.

SCHOL. Neque sane rem conficiunt, qui *Petrum* ceteris ordine præpositum ajunt, quia aliis seu *ætate*, seu *vocatione* antiquior fuerit. Nam ad vocationem quod attinet, *Andream* *Petro* priorem fuisse, ex *Joann. cap. I. 40. seqq.* intelligi potest. Uter autem duorum fratrum ætate alterum superaverit, quoniam scriptura tacet, definiri pro certo non potest, ut non diffitetur *Basnage annal. eccles. polit. ad annum 30. §. 33.* *Baronius* tamen *Andream* ætate majorem putavit *annal. ann. 31. §. 24.* qua in re *Epiphanium hæc. 51.* auctorem habet.

§. XXVI.

*Et Sanctorum Patrum traditione.*

Cui quidem interpretationi omnis *Sanctorum Patrum* suffragatur traditio. Innumera pene sunt eorum in hanc rem testimonia, quæ præ ceteris diligentissime in cultissimo christianarum antiquitatum opere collegit eruditissimus *Mamachius*, è quibus adferemus pauca. Sanc-

(1) *II. Reg. cap. V. 2.*

(2) *Matth. X. 2. Marc. III. 16.*

(3) *Marc. I. 36. Luc. VIII. 45. Act. II. 14.*

(4) *Lib. 1. de Rom. Pont. nap. 4.*

*tus Basilius* (1), *Beatus ille Petrus*, inquit, omnibus discipulis prælatus; cui soli majora data, quam aliis sunt testimonia, qui prædicatus est beatus, cui claves regni cælorum concreditæ sunt. *Cyrillus Hierosolymitanus* (2): *Petrus Apostolorum summus et princeps*, quo nomine etiam à *Gregorio Nazianzeno* et *Ephremio Syro* insignitus est. *Joannes Chrysostomus* (3): gravem post illum casum; nam nullum negationi par malum: sed tamen post tantum malum iterum eum ad priorem honorem revehit: *Ecclesie præfecturam ipsi per univ-ersum mundum tradidit.* *Theodoretus* (4): *Hac de causa Christus Dominus noster Apostolorum principem, cujus confessionem velut basim quamdam et fundamentum Ecclesie defixerat, fluctuare et errare permisit.* *S. Augustinus* (5) *Ecclesie personam gestare Petrum* ait, propter primatum, quem in discipulis habuit. Quod etiam alibi repetit (6): *Ecclesie Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam :::: Natura unus homo erat, gratia unus christianus, abundantiore gratia unus idemque primus Apostolus.* Et ut omittam alios, *S. Leo* (7): *De toto mundo*, ait, *unus Petrus* eligitur, qui et univ-ersarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis cunctisque *Ecclesie Patribus* præponatur, ut quamvis in populo *Dei* multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat *Petrus*, quos principaliter regit et *Christus*.

SCHOL. Hæc profecto veram esse non sinunt tam doctrinam eorum, qui omnem abesse ab *Ecclesia* primatum volunt, quam horum etiam, qui elapso pro-

(1) *In proem. de jud. Dei n. 7.*

(2) *Cath. 2. n. 19.*

(3) *Hom. 5. tom. 2. pag. 311.*

(4) *Epist. 77. pag. 947. tom. 3.*

(5) *In Psalm. CVIII. n. 1.*

(6) *Tract. 124 in Joann. n. 5.*

(7) *Serm. 3. in anniv.*

ximo sæculo in ejus communionem S. Paulum adsciverunt auctore potissimum Martino de Barcos, cujus viri opinatio præter alios accurate confutata est ab Illust. de Marca *in diss. de singulari primatu Petri*. Conf. Natalis Alexander *cit. dissert.* Quod autem Paulus palam et in faciem Petro restitisse creditur ex capite secundo epistolæ ad *Galatas*, id vero huic, quem propugnamus, primatui tam parum officit, quam quidem illud, quod nonnulli è Sanctis Patribus utrumque simul Romæ Episcopatum gessisse memoriæ prodiderint; nam ut horum, quæ sunt, hæud difficilem interpretationem habent, ita illud (etsi demus Cephæ à Paulo reprehensum eundem esse Petrum, quod tamen rationibus non prorsus contemnendis impugnavit auctor dissertationis *Cephas non Apostolus sed discipulus Antiochiæ à Paulo reprehensus, Erfordiæ excusæ*) rarum quidem, sed sanctum posteris præbuit in Petro exemplum, ut Augustinus ait (1), *quo non dedignarentur, sicubi forte recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi.*

## §. XXVII.

*Ratio primatus instituti.*

Nunc de ratione, ac fine, quem in primatu instituendo sibi *Christus* proposuit, inquirendum est. Hoc autem dum facio, non id quæro, quæ causa *Christo* fuerit, ut *Petro* potius, quam alii cuiquam ex *Apostolis* eam dignitatem conferret. Qua quidem in re non una est Patrum sententia. *Hieronymus* illum ceteris prælatum statuebat, quod senior esset (2). *Hilarius* contra, et *Joannes Chrysostomus*, quod primus à *Christo* vocatus primus etiam in eum crediderit (3). Alius caritatem, alius insignem ejus confessionem causam fuisse putabat. Sed,

(1) *Epist. 82. n. 22.*(2) *Lib. 1. adv Jovin. n. 26.*(3) *Hom. 9. de pæn.*

ut præmonebam, id hoc loco non quærimus. De causa agitur instituendi primatus, quam certum est, unitatem fuisse Ecclesiæ Christianæ. (§. XI.) Hujus enim causa *Christus* (1) *alios dedit::: pastores et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, donec occurramus omnes in unitatem fidei* (§. XIII.). Ejusdem gratia unum inter plures eminentiore gradu collocavit, ut, quod ait *S. Hieronymus*, *capite constituto schismatis tolleretur occasio* (§. XII.). Bonæ unitatis, inquit apposite in eandem sententiam *Optatus Milevitanus* (2), *Beatus Petrus, cui satis erat si, post quod negavit, solam veniam consequeretur, et præferri Apostolis omnibus meruit, et claves regni cælorum communicandas ceteris solus accepit. Negare non potes, scribit alibi* (3), *scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collocatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est: in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret.* Similia his *Augustinus* (4), *Pacianus* *Barcinonensis* *Episcopus* (5), et præ ceteris explicite ac frequenter *S. Cyprianus* tum epist. 70. tum lib. de unitate Ecclesiæ: *Super unum ædificat Ecclesiam*, inquit: *una est Ecclesia à Christo Domino super Petrum origine unitatis et ratione fundata; namque exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia Christi una monstretur.* Itaque causam instituti primatus unitatem fuisse christianæ societatis certissimum est. Nunc, quæ hinc sequantur, videamus.

COROL. I. Atque in primis quidem hinc expeditum est prorsus, primatum in Ecclesia catholica ab ipso humani generis Servatore institutum, *divini*, non *humani*

(1) *Ad Ephes. IV.*(2) *Lib. 7. de schism. Donat. cap. 3.*(3) *Lib. 2. rap. 2.*(4) *Tract. 118. in Joann. n. 4.*(5) *Epist. 3.*

juris habendum esse. Hoc Cyprianus perspicue affirmat laudato de unitate libro: *Quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat: tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.*

COROL. II. Primatum in persona Petri institutum prærogativam fuisse non illi propriam ac temporalem, verum perpetuam, haud magis dubium cuiquam esse potest, qui reputare secum volet, unitatem in Ecclesia visibilem, quæ instituendi primatus una causa fuit (§. XXVII.) perpetuam esse oportere. Hugo Grotius eo, quam nuper laudavi, loco, posteaquam ordinem sive in partibus, sive in toto in præpositi unitate contineri adfirmasset, et hoc est, subjicit, quod in Petro nos Christus docuit: Hic ordo in Ecclesia semper manere debet, quia semper manet causa, id est, periculum à schismate.

COROL. III. Hinc fit, ut quemadmodum Petrus, ita successores ejus legitimi in primatu ejusdem sint catholice unitatis centrum, atque ita etiam omnino appellentur: quod Irenæus lib. 3. *contr. hæres. cap. 3.* de Ecclesia Romana agens significat, dum ait: *Ad hanc enim ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles.* Nempe hoc ideo, ut animadvertit doctissimus Massuetus *diss. 3. art. 4. §. 30.* ut unitas inter tot Episcopos totque singulares ecclesias tam longe à se invicem distantes, foveri, omniumque consensus facilius explorari posset, nec omnes emergentibus quibuscumque controversiis maximo cum singularum gravamine simul in unum locum convenire cogerentur; necesse erat primam aliquam inter omnes ecclesiam constitui, quæ ceteris omnibus præesset, ceteris pro jure invigilaret, ac veluti quoddam unitatis centrum esset, in quod omnes confluentes, ejusdem fidei et communionis nexu colligerentur.

COROL. IV. Ex quo ipso manifestum est porro, pri-

matum hunc non ordinis esse dumtaxat et honoris, qualem haud gravate concedent etiam hi qui adversantur maxime, verum auctoritatis etiam et jurisdictionis; ea nimirum potestate ornatum, quæ ad unitatem Ecclesie catholice tam fidei quam pacis conservandam necessaria est. De quo lubet adscribere verba Leibnitii ex epistola ad Joann. Fabricium. *Quum Deus sit Deus ordinis, inquit, et corpus unius Ecclesie catholice et apostolice, uno regimine hierarchique universali continendum juris divini sit: consequens est, ut ejusdem sit juris supremus in eo spiritualis Magistratus terminis se justis continens (hæc verba nunc addo) directoria potestate, omnique necessaria ad explendum munus pro salute Ecclesie agendi facultate instructus.* Tom. I. *Epist. pag. 55. edit. Lips. ann. 1734.*

COROL. V. Sed hæc quantacumque sit (quod nunc non inquiri), quæ primatui inest, potestas; eam decet ita interpretemur, ut exerceatur ad eum modum, qui sit consentaneus fundamentalibus divinæ hujus civitatis legibus sive scriptis illis in Evangelio, sive per Apostolos traditis, et ab Ecclesia catholica observatis. Regimini Ecclesie Christus non solum Petrum, sed et ceteros Apostolos immediate præfecit, ita ut potestas ejus, tametsi ratione primatus superior, non tamen sola sit. *Pares Apostoli inter se et in apostolatu* (ait de Marca, *de discr. cler. et laic. cap. 3. §. 40.*) *sed ratione habita ad unitatem ecclesiarum servandam, Petrus eximio jure et præcipuo erat caput unitatis, adeoque sub illo respectu erat caput Apostolorum.* Unde colligas, quam absurda quamque Evangelio inimica sit opinio eorum, qui ipsos adeo Apostolos non à Christo, sed à Petro eam, quam exercebant in ecclesiis à se constitutis, potestatem accepisse comminiscabantur, ut est ab ipso Bellarmino demonstratum. *Lib. 4. de Rom. Pont. cap. 23.*

## §. XXVIII.

*Gradus hierarchici ex jure divino.*

Atque hæc est Ecclesiæ christianæ hierarchia, quam ex divina ordinatione accepimus. Nisi quis addere his fortasse velit etiam *Parochorum* institutionem, quorum similiter, quam in sua quisque plebe exercet, potestatem divinitus ortam et à Christo propagatam, tametsi pendentem ab Episcopo, disputant Theologi à Gallia præstantissimi. Nec desunt illis, quibus hanc sententiam probent, argumenta momenti non contemnendi. Leviora certe sunt, quæ opponi solent, atque ita comparata, ut ipsa momentorum infirmitas per se satis gravis esse videatur, quo suspicari quispiam non inepte possit de veritate causæ, quæ rationibus tam infirmis propugnanda est. Sed de his judicent peritiores.

SCHOL. Conf. Ludovic. Thomassinus *de vet. et nov. Eccles. disciplin. lib. 2. cap. 26.* Lud. Habert *tom. 7. de hierarch. Eccles. cap. 6. quæst. 2.* Petrus Colletus *tract. de ordin. part. 2. cap. 5. tom. 7. pag. 291. seqq.* Gaspar Juenin *in commentar. de sacrament. dissert. 9. quæst. 3. cap. 5. art. 3. pag. m. 454. seqq.* Adde his Claud. Fonteji *dissert. de antiquo Presbyterorum jure in regimine Ecclesiæ.*

## §. XXIX.

*Ex institutione ecclesiastica.*

Secernendi proinde ab hac ceteri sunt gradus, quos Ecclesia subinde usu exigente superioribus adjecit. Nam primum, quum aucto fidelium numero unus omnibus superesse Diaconus rite non posset, atque ob id dividendæ ejus functiones essent, quo dignius et cum ma-

jori veneratione exerceri posset tam sancti sacerdotii ministerium (1), instituti sunt Lectores, qui libros sacros adservarent publiceque prælegerent: Ostiarii, qui ecclesiam custodirent purgarentque, et profanos arcerent: Exorcistæ, qui dæmones à catechumenis ceterisque à cœdemone obsessis ejicerent: Acolythi, qui Episcopo à pedibus, mandatisque ejus ac litteris ad alios perferendis præsto essent: Subdiaconi, qui Diaconos subleverent, proximoque gradu essent. Atque hæc sunt origines ordinum, quibus hodiernum clerici distinguuntur. Non tamen eadem omnium ecclesiarum facies, nec semper singuli in unaquaque ordines fuere. Aliæ enim vel solos Lectores et Acolythos; aliæ solos Lectores et Ostiarios; aliæ præter hos Cantores habuere. Multæ orientales ecclesiæ etiamnum Subdiaconis destituuntur. Sed inde ab Apostolorum temporibus semper et ubique fuerunt Episcopi Presbyteri et Diaconi. Fleurius *instit. jur. eccles. part. 1. cap. 3. §. 5.*

SCHOL. Conf. Morinus *de sacr. ordinat. part. 3. exer. II. cap. 1. seq.* et præter Thomassinum, Petavium, Dartis, Hallierium, etiam ex Anglis Jos. Binghamum *origin. ecclesiast. lib. 3.*

## §. XXX.

*Etiam quoad hierarchiam jurisdictionis.*

Ipsi vero Episcopi, etiamsi omnes in principio potestate pares, procedente tempore pro locorum amplitudine alius alio facti sunt eminentiores, ait Fleurius. Nam qui in primaria cujusque provinciæ civitate habitabant, *Metropolitani* seu *Archiepiscopi*, qui autem in civitate à qua plures provinciæ pendebant, *Exarchi*, *Primates*, *Patriarchæ* vocabantur. Accesserunt his *Cardinales*, *Legati*, *Vicarii* sedis apostolicæ, aliaque

(1) *Trid. sess. 23. cap. 2.*

plura ejus generis officia, de quibus in parte speciali agetur diligenter.

SCHOL. De singulorum in episcopatu graduum originibus varie viri etiam doctissimi sentiunt. Ego ita statuo: Etsi apostolica ecclesiarum quarundam institutio ad conciliandam his quamdam præ ceteris auctoritatem nonnihil contulerit, omnem tamen ex illa auctoritatem repeti non posse. Etenim hæc una si causa statuatur eminentioris dignitatis potestatisque, cur Hierosolymitana ecclesia prima omnium, et ab ipso Christo fundata (§. IV.) Cæsareæ subdita sit? cur Antiochena ordine posterior est Alexandrina? cur Constantinopolitana patriarchalibus ecclesiis connumerata? His quidem explicandis vulgata de origine patriarchalium sedium doctrina non sufficit profecto. Ut de Metropolitibus Exarchisque diocesium nihil commemorem, quorum in ecclesiasticis politia adeo congruit cum politia civili imperii Romani Constantino imperatore introducta, ut certum magis quam verisimile videatur, illam ad exemplum istius compositam fuisse. Quare superiori hæc quoque adjudgenda est ratio, etsi hanc deinde in novis Metropolitibus Ecclesiæ instituendis neglectam interdum, aut parum pensi habitam fuisse non inficiet. Jos. Bingham *orig. eccles. lib. 9. cap. 1. vol. 3. pag. 371. seqq.*

§. XXXI.

*Conclusio capituli.*

Hactenus de Ecclesia christiana generatim. Quam quidem ex iis, quæ duobus his capitibus disputata sunt, facile intelligi potest, societatem esse à Judæorum cœtu à Christo ipso sejunctam (§. III. seqq.), vinculo non interiore solum, verum externo quoque fidei et charitatis colligatam (§. VII. seqq.); quæ sub communi Episcoporum (§. X. et XI.), atque unius præcipue

Christi in terris vicarii regimine (§. XXII.) christianam religionem colit, ut salutem æternam consequatur (§. VI.).

SCHOL. Ut appareat, nullam Launojo causam fuisse probabilem, cur *lib. 8. epist. 13* Bellarmino insultaret tantopere, corruptæque notionis à veteribus de Ecclesia traditæ reum ageret. Sed ego hoc in Launojo non miror qui in definienda Ecclesia etiam Cyprianum à vero aberrasse contendebat, nactus imitatore[m] Just. Henn. Bohmerum, atque etiam laudatore[m] *in diss. 8. ad Plin. §. 17. pag. m. 452.*

CAPUT III.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA  
GENERATIM.

§. XXXII.

*Quid sit potestas ecclesiastica.*

Omnis societas certum habet sibi propositum finem, in quo obtinendo commune illius bonum situm est (§. VI.). Finis autem sine mediis, aptis illis utique ac proportionatis, obtineri non potest: quæ proinde, si per leges societatis fundamentales determinata non sint, à societate ipsa illove, qui jura societatis sibi tradita exercet, determinantur necesse est. Itaque nulla ne esse quidem societas potest, in qua non insit facultas, qua jure possit atque pro auctoritate omnia decernere, quæ pro locorum, temporum, aliorumque adjunctorum varietate aptissima ad finem efficacissimaque videbuntur. Hæc ego ad societatem Christianorum transferenda esse plane censeo. Non enim huc adduci me patiar, ut credam omnia à divino fundatore in ipsa ejus institutione adeo

